

net Confessarios, ut *abstineant ab eorum* (votorum) *commutatione, in quibus agitur de præjudicio tertii. Quare in eo, quod pertinet ad vota, quantumvis simplicia, seu Perseverantiæ, seu alia emitti solita in aliqua Congregatione, vel Communitate, & in vota obligatoria a tertio accepta, non se ingerant.* Idem habet in Bulla *inter præteritos*, in qua laudat Suarez T. 2. de Relig. lib. 6. c. 5. n. 7. apposite scribentem, Pœnitentarios circa talia vota dispensare non posse. 4. Confessarium posse absolvere a peccatis contra votum commissis, modo non sint reservata; sed manet eadem, quæ antea fuerat, voti obligatio. De reservatione votorum agemus in Tract. de Pœnitentia. Interim sciendum est, vota conditionata non intelligi reservata, donec conditio impleatur, & dispensari posse a quocumque habente facultatem ordinariam; nisi conditio sit de præterito, vel de præsentī, quia hæc non suspendit votum, quod re vera est absolutum. Idem dicendum est, si conditio sit de futuro necessario, quæ habetur tanquam non adjecta; vel de contingenti, quod sit commune, v. g. *si vixerō, si poterō.* Pariter si conditio apponatur, non quidem ad suspendendam voti obligationem, sed illius executionem v. g. *Voveo religionem, si vigessimū annum attigero, & similia.*

## TRACTATUS III.

DE TERTIO ET QUARTO PRÆCEPTO  
DECALOGI.

## CAPUT I.

## De obligatione sanctificandi festa.

1. **T**ertium hoc Decalogi præceptum habetur Ex. 20. his verbis: *memento, ut diem Sabbati sanctifices.* Quod tribus de causis datum est Judæis. 1. ob beneficium creationis; sex enim diebus cuncta operatus est Dominus, & die septima requievit ab omni opere, quod patrarat; hinc ne tanti beneficii memoria excideret, observandam præcepit hanc diem, quæ vocata est Sabbatum, quod interpretatur *quies.* 2. ob figuram Christi in lege promissi, qui integro sabbato quieturus erat in sepulchro. 3. ad quietem corporum, ne continuo labore deficerent. Jam vero Ecclesiam diem Sabbati, seu diem septimum mutavit in Dominicam diem, seu octavam in memoriam resurrectionis Christi, quæ die octava contigit, in qua opus redemptionis nostræ perfectum est.

2. Hoc præceptum partim naturale est, partim caremoniale; naturale est, quatenus præcipit aliquod tempus cultui Divino impendi; quatenus vero definit tempus, in quo cultus præstari debet, est caremoniale. Ita S. Th. 2. 2.



q. 122. & Catech. R. 3. p. in præc. Dec. n. 4. Numerari autem potest inter affirmantia præcepta, quatenus semper obligat ad cultum Deo præstandum, sed non ad semper præstandum, sed suo tempore, hoc est, die ab Ecclesia præscripto. Ecclesia autem, quæ diei Sabbati dominicam diem substituit, alios quoque dies assignavit in honorem Christi, & SS. quos velut festos voluit observari de quibus hic etiam est sermo.

3. *Quæst. 1.* A quo tempore incipit obligatio diei festi? R. ex usu, & praxi Ecclesiæ Romanæ incipit a media nocte ad aliam, licet aliter posset ab Ecclesia præscribi. Quod si festum ob diem impeditam transferatur in aliam quoad Officium; non ideo transfertur obligatio audiendi Sacrum, & abstinendi a servilibus. Excipe Festum Annunt. B. M. V. cum incidit in fer. 6. vel Sabbarum Maj. hebdomadæ, quod transferri solet cum obligatione audiendi Sacrum, & abstinendi a servilibus.

4. *Quæst. 2.* Quo modo, & ad quid obliget hoc præceptum? R. 1. gravis est obligatio sanctificandi festa, omnes per se obligans sub mortali. Ratio est, quia est præceptum de materia gravi, ad cultum Dei pertinente; hinc damnata est ab Inn. XI. propositio: *præceptum servandi festa non obligat sub mortali, secluso scandalo.* R. 2. obligat ad audiendum sacrum, & abstinendum ab omni opere servili. 1. constat ex praxi Ecclesiæ, & ex c. *Vice illius de tregua*; 2. ex Levit. 23. 7. *omne opus servile non facietis.* Et hoc quidem in ceteris etiam diebus festis præ-

ter Dominicam, in quibus laborare non permittitur, ut permissum est a S. Sede in Sicilia, Hispania, & alibi in pluribus festis non solemnioribus. Utrum autem sit obligatio audiendi concionem, ab aliquibus dubitatur; eo quod ita præcipi videatur in c. *Sacerdotes* dist. 1. de *Consecr.* Sed hunc textum explicat Glossa de contemnentibus concionem, qui certe peccati rei sunt. Nec aliud ibi præcipitur, ut notat Suarez, nisi ut Episcopi, & Parochi diebus Dominicis, & solemnioribus ad populum concionem habeant.

5. *Quæst. 3.* Quinam hoc præcepto obligentur? R. fideles omnes, postquam ad annum discretionis pervenerint. Excusant aliqui pueros ante septennium, etiamsi usum rationis obtineant. Sed immerito, ut censet communis DD. sententia cum Suarez, Layman, Vazquez, & aliis, quia Ecclesia obligat ad confessionem annuam pueros conscientiam peccati mortalis habentes ex c. *Omnis utriusque sexus*, in quo præcipitur, ut omnes semel in anno confiteantur, *qui ad annos discretionis pervenerint*, id est, cum sint *doli capaces*, ut explicat Glossa. In dubio autem de usu rationis non obligatur puer ante septennium; quia præsumptio obligationis fieri debet ex communiter contingentibus. Hoc præcepto non obligantur perpetuo amentes, nec infideles; Missam autem non tenetur audire qui cæcus sit, mutus, & surdus cum non possit morali, & humano modo assistere; secus autem est dicendum de eo, qui cæcus tantum sit, vel surdus.



6. *Quæst. 1.* Quænam sunt opera servilia, quæ die festo exerceri prohibentur? R. omnia opera, qua versatur circa materiam externam, & requirunt laborem corporis, potius quam animi, & ab operariis, & servis fieri solent, ut fodere, suere, fabricare, & similia. Hujusmodi opera dicuntur mechanica, & servilia, suntque interdicta die festo, etiamsi non fiant pro mercede, sed recreationis gratia. Alia sunt opera, quæ ab animo potius, quam a corpore pendent, & dicuntur spiritualia, v. g. orare, meditari, studio vacare, disputare, concionari, cet. quæ licet fiant pro mercede, non sunt contraria festorum sanctificationi, nec hoc præcepto sunt prohibita. Alia denique sunt opera quidem corporis, sed quæ communia sunt nobilibus, & ignobilibus nec vulgo habentur inter servilia, v. g. venari, ludere, piscari, interfacere, uti musicis instrumentis, aliaque id genus: de his autem singillatim est dicendum.

7. Ac primo quidem opus servile non est, sive gratis, sive pro pretio studere, scribere, ludere, canere, docere, cet. S. Th. 2. 2. q. 122. art. 4. Sunt qui velint transcribere esse quid mechanicum, & die festo prohibitum. Sed negant communissime DD. cum Suarez, Salmant. & aliis, eo quod natura sua ordinatur ad mentem instruendam. Et ideo censent Layman, Sporer, Elbel, aliique, licere etiam transcribere notas musicas, rationes, atque etiam characteres componere. Nec est opus servile saltare, choreas ducere, musicis instrumentis uti. Licet quoque iter agere die festo, modo Sa-

crum audiatur, & quidem etiam in curru, aut rheda; licet aliqui non concedant vectoribus iter inchoare, sed continuare iter inceptum; verum sententia communis docet id esse licitum, & praxi quotidiana confirmatum; ita ut opinio contraria inter antiquatas numeretur a Roncaglia.

8. *Quæst. 5.* An sit prohibitum pingere die festo? Affirmant Suarez, Valentia, Sanchez, & alii, quia non potest dici actio liberalis, quæ non refertur ad mentem instruendam, ut refertur scriptura, sed solum ad imitandas rerum imagines; nec multum inter se differunt pingere, & seulptere, atque acu pingere, quæ certe in communi opinione servilia sunt. Nihilominus alii multi contendunt, pingere esse opus omnino liberale, non minus quam scribere, quia magis est opus mentis, quam corporis. Quod certe probabile satis esse, inquit Layman, si fiat sine magno apparatu molendi, & miscendi colores, dolandi tabulas, cet. Probabilius videtur esse actionem *mediam*, & communem servis, & liberis; opera autem, in quantum sunt communia servis, & liberis non dicuntur *servilia*, inquit D. Th. 2. 2. q. 122. a. 4. Proinde recte monet Roncaglia, qui hanc opinionem sequuntur, eis absolutionem non esse denegandam. Potiori jure opus servile non erit retrahere imagines, & acu delineare, ut solent feminæ, quia hæc magis spectant ad recreandum animum, quam ad operandum. Excusant aliqui puellas, acu pingentes ad vitandum otium; sed repugnant alii.



9. Ars tamen sculptoria in æstimatione hominum inter artes mechanicas numeratur; similiter ars typographica. Aucupari, piscari, venari, communior sententia negat esse prohibita, vel quia non sunt opera servilia, vel quia sunt consuetudine tolerata: intellige, modo fiant sine magno labore, aliter frustra videretur dispensatum esse a Pontifice in piscatione halecum in c. 3. *de fer.* Idem dico de exercitatione gladiatoria, quam, si moderate fiat, permittit consuetudo.

10. Alia sunt prohibita, quæ non sunt servilia, eo quod multum distrahant a rebus Divinis, in quibus animus occupari debet diebus festis. Hujusmodi sunt actiones judiciales, quæ requirunt strepitum forensem, citare, adducere testes, exigere juramentum judiciale, proferre, aut exequi sententiam, quæ si feratur, est irrita, ut ait Layman *ex c. 2. de fer.* Licet est tamen excommunicare, dispensare, iudicem privatim consulere, & similia; quæ strepitum judiciale non exigunt. Pariter non est prohibitum in die festo conferre Beneficia, & etiam jurisdictionem exercere, quæ non egeat forensi strepitu.

11. Prohibentur etiam in c. 1. *de fer.* nundinæ, & mercatus, & omnis contractus emptio- nis, & venditionis, etiam privatim factus, nisi ex consuetudine, aut necessitate excusentur. Hinc excusantur, qui diebus festis vendunt esculenta, & poculenta, exceptis horis, in quibus officia Divina celebrantur. Imo & privatim res alias vendere, videtur usu communi tole-

raturum, modo id non fiat in publicis officinis ratione scandali. Sunt, qui velint permitti in festis conficere instrumenta, & contractus fieri, qui non requirant strepitum judiciale; quamvis Notarii alicubi soleant petere ab Ordinario generalem facultatem, quæ ut plurimum conceditur. Circa nundinas autem, & mercatus, quæ semel in anno, aut in hebdomada fiunt, vide Const. duas Bened. XIV.; alteram, quæ incipit *Paternæ charitatis*; alteram, cujus initium est: *ab eo tempore.*

12. *Quest. 6.* Quænam causæ excusant ab obligatione omittendi opera prohibita in die festo? R. Septem præcipue assignantur. 1. dispensatio Episcopi in sua Diœcesi, & etiam Capituli, Sedè vacante, Prælati Regularis erga subditos, & domesticos; imo & Parochi, quando non est facilis aditus ad Episcopum. Non valet autem dispensatio, nisi juxta causa intercedat. 2. est consuetudo adprobata, ratione cujus a peccato excusantur ementes, aut vendentes cibos, & res alias non magni momenti, sutores, novos calceos induentes, barbitonsores, ubi tondere sit usu toleratum. 3. causa est pietas in Deum, per quam licent ea, quæ ad Dei cultum proxime spectant, ut pulsare campanas, circumferre imagines, vel Cruces, & similia. Ornare autem, ac verrere templum, coquere hostias, altaria tapetis exornare, tabulata erigere ad festivitatem aliquam, si fieri ante festum diem commode possint, nullo modo licet in festis. Utrum autem ea differre ad diem festum, grave peccatum sit, an leve, non convenit in-



ter DD. Communis tamen sententia cum Toléto, Suarez tenet solum esse veniale. Nec sola pietatis ratio satis est ad laborandum in die festo, nisi vera intersit necessitas. Unde non licet extruere Ecclesiam, templa dealbare, agros Ecclesiæ colere, segetes metere, & similia, nisi ad titulum pietatis accedat necessitas, vel Episcopi dispensatio. Idem dico de laboribus impensis in gratiam pauperum, qui non licent, nisi cum aliter pauperi nequit subveniri.

12. Quarta causa excusans est *charitas* erga proximum; unde licent, & valent actus judiciales pauperum, orphanorum, viduarum, & egenorum, ne graventur expensis. Ob eandem rationem licet pauperibus, & egenis, si aliter commode non possit, laborando in die festo subvenire. Item emere, & vendere rusticanis, qui alio die impediuntur. *Quinta* est necessitas propria, vel aliena, sive animi, sive corporis. D. Th. 2. 2. q. 122. art. 4. generaliter excusat eos, qui laborant ad vitandum damnum bonorum. Quo modo excusantur 1. judicia, quæ celeritatem requirunt. 2. famuli a Domino coacti laborare in die festo, si non possint sine gravi incommodo alium dominum invenire: nam si possint, tenentur primum deserere. Excusantur etiam pauperes, qui se, suosque alere non possunt, nisi die festo laborent; modo id faciant privatim, & sine periculo scandali.

13. Ratione necessitatis excusantur coqui, cibos coquentes, & præparantes in die festo; occidere autem animalia, & excoriare, si pridie

fieri potuit, in festis non licet. Neque licet conficere cibos ad delectationem, nisi consuetudine sit permissum. Certum autem est licere præstare opera, quæ sunt necessaria ad usum quotidianum, ut sternere lectos, purgare domum, aut vestes, culinæ utensilia lavare, & similia. Excusantur quoque, inquit Tournely, cui Pontas, & Juenim adhærent, pistores, & ii, qui merces vendunt, si aliter nequeunt se suosque sustentare, vel si non laborantes sint aliis grave incommodum parituri. Idem dico de lanionibus, vendentibus carnes in oppidis numerosis, chirurgis, pharmacopolis, quorum opera necessaria sunt in die festo. Et pariter conflatores ferri, coctores laterum, calcis, cet. quorum opus semel cœptum non potest sine damno interrumpi. De aliis, qui ob necessitatem ab hoc præcepto non laborandi excusantur, vide hic Auctorem.

14. *Sexta causa* excusans est *utilitas* communis, & publica: unde in publicis solemnitatibus, & festis, ut pro natali Principis, vel alia simili de causa, licet pontes extruere, præparare loca pro spectaculis, & alia hujusmodi, quæ non nisi diebus festis commode fieri possunt. Denique *septima causa* excusans a mortali est *levitas*, vel *parvitas* laboris; quantum autem tempus necessarium sit, ut labor dicatur notabilis, & sufficiens ad mortale, non facile definiiri potest. Sunt, qui damnum lethalis culpæ laborantes per integram horam, præsertim si labor servilis sit, & valde corpus defatigans. Ita Azor, Reginaldus, & alii. Non pauci volunt,



posse quempiam sine gravi peccato laborare, modo duas horas non attingat. Communis sententia, & hodie usu jam recepta, excusat a peccato lethali, qui duas horas laborando non excedunt. Ita Roncaglia, Mazzotta, & alii multum antiqui, tum recentiores. Quod autem de laborantibus dictum est, intellectum volumus de dominis, qui cogunt famulos die festo operari.

15. *Quæst. ultima.* An qui peccat die festo; peccet contra præceptum sanctificandi festum? Affirmant aliqui TT. cum S. Antonino, Bonav. & aliis quia peccatum omne opponitur Divino cultui, qui est finis præcepti. Negat tamen communior sententia, quia peccata non sunt proprie opera servilia, sed solum mystice, ut ait D. Thomas in c. 3. Lucæ. Nec obstat, quod S. Doctor ait 2. 2. q. 122. a. 4. *Magis contra hoc præceptum agit qui peccat in die festo, quam qui aliud corporale opus facit.* Nam hoc intelligit de fine præcepti, non autem de præcepti obligatione; finis autem præcepti non cadit sub præceptum, ut alibi diximus ex eodem D. Th.

## CAPUT II.

### *Quenam opera in die festo præcipiantur.*

16. R. 1. Hoc præceptum sub mortali obligat ad audiendum Sacrum. Ita omnes TT. & ab Innoc. XI. damnata est propositio 52. dicens: *præceptum servandi festa non obligat sub mortali, seposito scandalo, & si absit contemptus.* Et quidem obligat omnes baptizatos, usum rationis ha-

bentes; non autem infantes; perpetuo amentes; nec catechumenos. Ratio 1. partis est quia est univèrsale. Ratio 2. quia non possunt humano modo assistere. Ratio 3. quia non sunt Ecclesiæ subjecti. R. 2. obligat etiam hoc præceptum aliis Religionis operibus vacare, v. g. adesse concioni, catechesi; Vespèris, Officio Divino: constat ex Catechismo R. qui ait, *diem Sabbati* (hoc est festi) *diem religiosum esse, divinisque actionibus & sanctis rerum officiis consecratum.* Atque eodem modo loquuntur SS. PP. præsertim Greg. lib. 11. ep. 3. Et S. Antoninus p. 2. tit. 9. c. 7. ait: *debet ergo die festo insisteri operibus spiritualibus orationis, meditationis, auditionis Divinorum, lectionis, & eleemosynæ;* addens, abstinere a servilibus, & Missæ auditionem esse præceptum obligans sub mortali; non vero cetera: quamvis veniale sit Deo non vacare pro majori parte diei festi, si legitima causa non obstet.

17. Hinc non est obligatio gravis adesse concioni, & catechesi, quantum est ex vi præcepti sanctificationis festi. Potest autem aliunde quis obligari, & re ipsa sæpe obligantur tum pueri, tum rustici, & alii, qui ignorant ea, quæ necessaria sunt ad salutem, nec instrui commode possunt, nisi catechesi, aut sacris concionibus intersint. Jam vero sit —

18. *Quæst. 2.* Quomodo implendum est præceptum audiendi Sacrum? R. 1. requiritur ut Missa audiatur integra. Hinc graviter peccat, qui non adest tempore consecrationis, licet reliquam Missam audiat, quia illa est pars essen-